

Franckesche Stiftungen zu Halle

**Commentatio De Antiquo Illo Docvmento Qvod Secvndo
Geneseos Capite Exstat**

Heinrichs, Johann Heinrich

Goettingae, 1790

VD18 11806575

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

[urn:nbn:de:gbv:ha33-1-203199](#)

Tholka

XXI 12

- 1.) Diptoratio theologiae de variis genibus. Deo Odorico 1802.
aut. M. C. Millies.
- 2.) Com: De antiquo illo documento quod Iosephus cap. II exp̄lat. 1790
aut. J. H. Heinrichs.
- 3.) Com. De antiqu. ill. Tosc - q - g - cap II. exp - autore
D. J. Pott.
- 4.) De Mari: D. agt 180 aut: Kochler. 1819.
- 5.) De Nicholae alexand. cathol. theologia. aut. Guenine.
- 6.) De jure ecclesiastico. autore Mase. 1828.



COMMENTATIO

D E

ANTIQVO ILLO
DOCVMENTO

QVOD

SECVNDO GENESEOS CAPITE

EXSTAT

AVCTORE

IOANNE HENRICO HEINRICHS,
COLLEG. REGII REPET. THEOL. SODALIS ET
INSTITVTI HISTOR. GOETT. ASSESSOR.

GOETTINGAE,

APVD I. D. G. BROSE 1790

2

COLLECTOR

ANTEQUA
DOCUMENTO

EDITIONIS GERMARIAE CAVENDISH

LOCAVIT HENRICUS TIEBERG

COLLEGAT ET PUBLISHIT IACOBUS

INSTITUTI MISERICORDIAE

COLLECTOR

ANNA F. D. G. BLOOM 1720



Ad explicanda discutiendaque vetustissimo-
rum temporum monumenta sicuti, deficien-
tibus aliis adminiculis, unica ferme per hy-
potheses via patet, ita eam quam cautissime
ineundam esse ac circumspectissime, tum ra-
tio monet tum diurna consentit experien-
tia. Quid enim iniucundius est religioso
veteris aei scrutatori, quid taediosius, quam
videre tantam sententiarum interpretatio-
numque pugnam? videre tantam turbam
conjecturarum, quibus veteriores potissimum
interpretes, dum pro suo quisque arbitrio lu-
cem affundere certant antiquissimis monu-
mentis, nihil prorsus relinquendum esse rati,
in quo inscitia nostra ac manca cognitio
confitenda sit, in venerabilem illam sancti-

A

finam.

simamque antiquitatem, atque in praeclaris
 tantorum virorum, quibus veram & soli-
 diorem eius cognitionem propagare cordi-
 est, conamina, peccare profecto videntur,
 modo huc modo illuc lectorem abripendo.
 Neque vero tametsi in iis proferendis summa
 adhibenda sit cautio, in illustrandis antiquis
 sumis documentis, ubi historicis testimoniis
 sumus destituti, aut carere illis prorsus pos-
 sumus, aut prosper omnis successus ex iis
 desperandus est: actum enim foret de ma-
 gna cognitionis nostrae parte, si nulli rei
 tribuenda sit aliqua auctoritas, nisi quae ex
 argumentis historicis aut mathematicis de-
 monstrari possit enucleatissime, extimescen-
 duimque adeo de hac illaue re judicium pro-
 ferre veritis, ne quis querulus obiciat tri-
 tum illud: *a posse ad esse non valere conse-
 quentiam.* Ac profecto male nobiscum com-
 paratum foret, si solidae eruditioni aduer-
 saretur in coniecturis proferendis liberalitas:

quum

quum ad has ipsas inuestigandas diiudicandasque, dummodo eas quam proxime fidem velis accedere, vel maxime desideretur de historia illorum temporum, & in primis de genio istius aetatis exploratissima cognitio: quae nisi ita essent, non gloriari posset aetas nostra immortalibus nominibus MICHAELIS, HEYNII, KOPPII, EICHHORNII, aliorum.

Ac video quidem hanc ingressione meam non ex eo loco, quem illustrandum mihi sumsi, arcessitam, sed aliunde prorsus ductam: verum concedat veniam lector, si in fronte libelli excusandam putauit audaciam meam, qua post praestantissimas tot doctorum virorum 1) qui in his elaborauerunt operas,

- 1) Quis ignorat, quanta de explicandis ut
totius V. T., ita & Geneseos documen-
tis merita superfint Perill. EICHHORNIO:
qui in egregia illa commentatione, cui
titulum fecit *Urgeschichte (Repertor. für
bibl. und morgenl. Litterat. Theil IV, n. 5.)*
& postea alibi de hoc quoque capite
A 2 senten-

operas, meam quoque qualemcumque expli-
cationem in medium afferre conor difficulti-
mi Geneseos capit is, & eam quidem non
magna doctrinae copia splendentem, aut
pargiore argumentorum criticorum histori-
corumque apparatu instructam, sed, quod
expeditissimum videatur & facillime obtinen-
dum, e medio conjecturarum penu de-
promptam. In quibus num & quatenus iis,
quae ad conjecturam probabilem reddendam
desiderantur, satisfecerim, iudicent in-
telligentiores, quorum sententiae haud se-
cus quam par est lubentissime me submitto.

Tantis autem difficultatibus Caput Gene-
seos secundum (nam hoc tantummodo com-
mentatione complectar, quamquam cum
capite tertio cohaereat arctissime) tantis igi-
tur

sententiam suam protulit. Nuperime in
eodem argumento pertractando praeclare
versatus est Ven. POTT *de consilio Mosis in*
transcribendo documento Genes. II, III,
Helmst. 1789, secundi potissimum capit is
ratione habita

tur difficultatibus implicitum est, ut si quem locum obscurum dicimus, nec unquam facile, collata plurium opera proflus collustrandum, hunc esse existimaverim. Protinus (ut de caeteris taceam) si inscriptionem (Cap. II, v. 4.), quam deinceps vindicabimus, species, miros nos habere possit, suscipere eam ac polliceri narrationem originis, seu, ut voce, rudi illi aetati magis consueta utar, generationum (הולדות) coelorum & terrarum i. e. totius uniuersi omniumque rerum, quas in hoc mundo cernimus; caput vero ipsum leuiter perstrictis his omnibus ad narrandam creationem hominum festinare, eique prae caeteris immorari diutissime. — Augetur difficultas, si complura, quae in hoc capite enumerantur, iam in priori capite breuius fusiisque vel eodem vel alio ordine prescripta contemplamur, quas quidem repetitiones nec casu accidere potuisse appareat, nec magis ex priscae

illius aetatis, linguaeque parum exultae natura esse explicandas 2). — Quibus denique accedit inuersus persaepe rerum enarrandarum ordo, & ita confusus, ut nulla temere industria ita coniungi narrationem posse credam & colligari, ut nullae lacunae nulli hiatus remaneant.

Ac priori quidem difficultati variis modis occurrerunt. Nonnulli nimirum versum atum arbitrati sunt non esse inscriptionem sequuturae narrationis, sed contra vulgarem communis textus distinctionem finem & quasi epilogum priori capiti annexebant, ut sit :

Haec

2) Haud raro quidem accidit, ut in vetustissimis illis V. T. sicut & Homeri libris eiusmodi repetitiones inueniantur, quarum, si opus foret, vel sexcenta exempla afferre in promtu esset. Nec mirum sane est, in hominibus nec distinctas rerum notiones nec linguam satis elaboratam habentibus, eos res, quae paucis absolui potuerant, quo etiamnum se produnt confusae rerum notiones, pluribus subinde repetitionibus protulisse. Vid. EICH-HORN *Einleit. ins A. T. Th. II. §. 418.*

*Haec ferme sunt, quae de origine coeli & ter-
rarum dicenda habui. — Verum enim uero
(ut taceam, nomen אלהים יהוה, quo-
tam v. 4to quam in omni deinceps narra-
tione Deus insignitur, inscriptionem sequenti
capiti vindicare; cui obiici posset, non nisi
primum versus membrum pertinere ad hanc
inscriptionem, & a vocibus בירב עשוּת ordiri narrationem ipsam), siue ab auctore
horum capitum ipso scripta sint haec, siue,
quod minus videtur, a recentiore manu ad-
dita, ineptum credo fuisset, caput primum,
praestantissimum illud vetustissimi aeui mo-
numentum, & tam quoad ordinem & mo-
dum rerum enumerandarum, quam quoad
sententias sermonemque nostra admiratione
prorsus dignissimum, ieiuna hac & claudi-
cante formula, quasi ex ipsa narratione non
bene intellecta sit res, velut consignare; ma-
xime quam iam Cap. II, 1.—3. epilogi vice,
si velis, huic documento esse queant. At*

A 4

vero

vero quam crebra est exemplorum copia,
sequituram narrationem, aut sequiturum ora-
culum propheticum indigitari eiusmodi titu-
lis, eisque haud raro iisdem vocibus תְּלִין
aut תְּנִינָה incipientibus, e.gr. Genes. V, 1. XXV,
19. XXXVI, 1. XXXVII, 2. Exod. I, 1. Deut.
I, 1. Sed quid diutius immoror rei mani-
festissimae?

At Perill. EICHHORN aliam viam ingref-
fus quum in hoc documento antiquissima
simplicioris philosophiae de ortu &
procreatione plantarum, brutorum, homi-
num &c. vestigia deprehenderet 3), ita trans-
ferri posse inscriptionem existimauit: *De re-
bus in coelo (aere) terraque procreatis* 4).
De qua sententia infra disputandi locus erit:

nunc

3) *Urgeschichte Zweit. Theil* p. 178. & *Bi-
bliothe. der bibl. Litter.* Band II, St. 4,
p. 712.

4) *Bibl. der bibl. Litt.* p. 713.

nunc de inscriptione videamus. Duplici
fane ratione connecti possunt haec verba &
exponi. Quod si hoc modo ille sensus ex-
primetur: אלֹהָ תַּולְדֹּת שֶׁמֶן (origines)
(rerum in terra & coelo creatarum) וְאֶרֶץ
nunquam equidem hanc sententiam am-
pleteas: Ut enim frequentissima exemplis
copia comprobari possit, vocibus
שֶׁמֶן & אֶרֶץ comprehendi omnia ea,
quae terra coeloque continentur: poetarum
tamen esse putem, ita loqui, quorum subli-
miorem sermonem quis exspectabit in in-
scriptionibus, quarum est nude argumentum
& absque ornatu sistere? Quod si herbarum
solum arborumque aut astrorum in cœlo descri-
beretur origo, magis quadrare inscriptionem
autumen, quae tamen capiti, quod hominum
creationi potissimum immoratur, minus
videtur congrua. At si per metonymiam
satis vulgarem illam quidem תַּולְדֹּת (ge-
nerationes, procreations) pro rebus pro-

A 5

creatibus

creatris accipias, sicuti accepisse Virum sumum mihi persuadeo, habebis quidem sensum faciliorem multo & expeditiorem, & eum quidem caeteris Geneseos &c. locis supra lustratis, vbi de posteritate fere usurpari solet vox חולדות (res progenitae), השמיים והארץ (coeli & terrae i.e. ex coelo & terra). Verum ne tum quidem promissis auctor videatur stetisse: quoniam longe copiosior ex hoc coelo & terra tanquam parentibus progenita est posteritas, ut voce utar, quam in hoc capite enatam legimus. Manet ergo & manebit eadem difficultas, inscriptionem in caput ipsum parum quadrare.

Altera illa difficultas, quam mouebant creberissimae repetitiones, mirum quantum exercuit veteriores interpretes: qui tamen eodem tempore confugiebant, ut tempora praeterita & futura ope plusquamperfecti explicarent, verten-

vertentes v.c. *טו וַיְצַר* (v. 7. & 19.) per for-
 manuerat autem Deus, aut *טו וַיִּתֶּן* (v. 8.) &
טו וַיָּמַצֵּא (v. 9.) per plantauerat autem, produ-
 cerat autem (eum hominem, putas, eas ar-
 bores, quas iam Cap. I. productas dixi).
 Quae quidem explicatio, quamvis usui *prae-*
teriti futurique, quae Hebraeis instar Aori-
 storum sunt, non aduersetur, vix tamen est
 quod inoneamus, quam sit dura, & omni
 ordini in enarranda historia aliqua, quem
 nunquam mihi persuadebo tantopere ab au-
 tore nostro potuisse negligi, prorsus repu-
 gnans. At postquam ASTRVC, b. JERUSALEM
 & post omnes Perill. EICHHORN ex variis
 variorum auctorum fragmentis constare Ge-
 nesin, & a Mose in hanc libelli formam re-
 dactam esse demonstrauerunt, noua prorsus
 lux assulxit, quae cum tot aliis, huius quo-
 que capitis tenebras eatenus disputat, ut ab
 auctore profectum agnoscatur, ab eo, qui
 Caput primum perscripsit, prorsus seiun-
 gendo.

gendo. Facile tamen appareat, ea nondum
 sufficere ad soluendas omnes quaestiones,
 maxime si requiras, vnde tot narrationis hia-
 tus, vnde confusus ille rerum enarrandarum
 ordo, quem, quodcunque auctoris in con-
 scribendo hoc documento consilium fuisse
 accipias, ab auctore tamen, qui tantam rem
 exponere profitebatur non crediderim po-
 tuisse profici. En tibi protinus versum quin-
 tum, in quo inscriptionem statim excipit
 narratio de fruticibus arboribusque nondum
 exultis: atque continuo, quum plantarum her-
 barumque originem narrari iexceptares,
 homo in lucem prodit (v. 7.), quo formato
 arbores & herbae prouenient (v. 8. 21.),
 iisque luculenter descriptis, ex improviso res
 aliam faciem gignit, statuente (v. 18.) Deo
 se creaturum quoque homini sociam; sed
 pro femina en bruta formantur, iisque de-
 dum procreatis, femina quoque in lucem
 editur. Quemnam quaeso non percellat
 haec confusio? quis non summa imis per-
 mista

mista hic videbit! An hanc idearum perturbationem ex infanti rudium istius aetatis hominum intellectu explicabimus, quippe qui nulla dum philosophia subacti, nulli dum ordini in enarrandis rebus adsueti ex infinita rerum, quae ipsos circumdabant, multitudine primum quodcumque in mentem venerat, arripuerint, arreptumque sine ordine protulerint! At vide, ne, tantae negligentiae & incuriae insimulans vetustissimorum hominum intellectum, caussam videaris suscepisse dicamne contra huius tantummodo capitis auctorem (quem seriorem esse auctore Cap. primi infra declarabimus) an omnino contra hominum omnium, qui sensa sua verbis exprimere & scriptis consignare audent sanam rationem 5).

Appa-

- 5) Sed & plures eiusmodi perturbationes in hoc documento, quod usque ad finem Cap. III. extenditur, occurrunt. Quo quæsto iure versus zomus Cap. IIIitii locum suum tuebitur? aut quomodo committere posuit

Apparet ergo vel ex his etiamnum post tot tantorumque virorum conamina Cimme-
riis tenebris inuolutum esse hoc caput, quas
sicuti vno velle conatu dissipare arrogantis fo-
ret, tentare saltem operae pretium est, quan-
tum fieri potest, lucis illis affundere. Id
quod & mihi causa fuit quod, quamquam
de successu paene desperandum sit, coniectu-
ras tamen meas qualescunque in medium
proferre non dubitarem, quibus nullum equi-
dem pretium arrogauerim, nisi quod, quae
in formandis coniecturis a quolibet merito
postulantur, conatus saltem sim, eas sistere
quam probabilissimas.

Versa-

tuit] auctor, vt haec omni connexu or-
bata & tanquam ex coelo deiecta oratio-
nem interrumperent? Evidem, donec
similium perturbationum exempla ex Ho-
mero, Ossiano, aut alio perantiquo poeta
afferantur, nunquam mihi persuaserim,
auctorem, qui scriptis mandare cogitata
sua sustinuit, adeo contra sanam ratiouem
potuisse impingere, etiamli in remotissi-
mam intellectus humani infantiam eius
aetas incidat: quod tamen de auctore
nostro praedicari neutquam potest,

Versabitur autem opella mea circa aetatem auctoris huius fragmenti, eiusque in conscribendo hoc documento consilium; tum circa oeconomiam ordinemque, quo suum propositum persequutus sit: ea enim si possent rite illustrari dubioque eximi, vexatissimum hunc locum prorsus perpurgari posse existimauerim.

Ac de auctore quidem in eo acquieuerunt viri docti, ut ab auctore prioris capituli diuersum eum esse censerent, dissentientes tamen in eo, quod alii priorem, paulo seriorem alii aetatem illi adsignabant. Quarum sententiaturum neutra mihi prorsus arridet, multo seriorem nostro auctori fuisse aetatem existimanti. Sane si collato utroque capite diuersam orationem, diuersumque modum rerum considerandarum enunciandarumque mecum reputo, non possum quin in hanc sententiam sim proclivior. Primum quippe documentum

omni

omni ornatu detracto, vt oratione procedit composita, facili & fluenti, ita tamen sententis insurgit tam grauibus tam sublimibus, vt ipsum Longinum, seuerissimum alias iudicem in sui admirationem potuerit abripere: at hic en tibi auctorem, a prisci illius aeuī simplicitate longius recedentem, exquisitiores iam rerum imagines aucupantem, sententias suas, vt amant seriores poetae, in varia dissecantem partes (v. 5.): en iam parallelis. num illum, quem vocant, tam familiarem Hebraeorum poesi, qui in eodem commate bis enunciare solet eandem rem (v. 5, init. v. 7, v. 23.) cui nihil simile in capite primo deprehendo. Iam porro primi capitinis auctor pro consuetudine simplicioris aeuī omnia ad Deum auctorem proxime refert, atque in describenda huius Dei potentia & maiestate ipsa breuitate animum lectoris misericorde percutit, neque venit ipsi in mentem, praeter Deum ipsum aliam rerum circum-

spicere

spicere originem. At hic noster penitus *in*
 res inquirens non creatum modo homi-
 nem enarrat, verum addere quoque modum
 fatagit ac rationem, qua prouenerint omnia,
 & cum primis perquirit, quo modo in lu-
 cem prodierit homo, &, qui nodus diffici-
 lior adhuc solutu videbatur, vnde oriri potu-
 erit sexus diversitas. Ex quibus cunctis mili
 quidem haud iniuste effici posse videtur seri-
 or iam aetas ac politior, qua homines plu-
 ribus phaenomenis obseruatis, philosophia
 iam imbuti aliqua, non amplius acquiescunt
 in ea explicatione, quae omnia captum no-
 strum excedentia Deo proxime attribuit, sed
 audaciiores iam in caussas inquirunt & mo-
 dum, quo prodierit haec illaue res. —
 Priori documento satis est commemorasse ip-
 sam rerum creationem, ordinemque, quo
 singula quaevis se excepérint. Hic vero eluce-
 re videoas passim doctiores disquisitiones:
 intextaque, quae ad absoluendam telam mi-

B

nus

nus necessaria videntur: videoas hic auctorem, perplexum illum nodum, unde suum quodque nomen sortita sint animalia, soluere allaborantem, quae quidem, licet poetae artificium in singendis hisce admireris, spirant tamen seriora tempora, & a prisca illa simplicitate longius remota. Quibus si addideris fusiorem topographiam hortorum Edenis, nisi ad auctorem concludes, qui in ipsis regionibus ipse versatus sit easque perspectas haberit accuratissime, colliges tamen, in excultiori eum terra floruisse & quideam tempore eo, quo iam arctius mutui commercii vinculum homines adstrinxerat, adeo ut illa nomina etiam exteris fama potuerint innotescere.— Sed non contentus superficiem istarum terrarum depingere in ipsa viscera penetrat, in quibus בָּרֶלֶחֶת, זהב, (v. 11, 12.) abscondi commemorat 6). Iam

quae

6) Nonne ex his vestigiis eadem aut similis aetas vindicari posset fragmento nostro, quam

quae de pluviarum vi ad agros foecundandos
(v. 5.) de arborum aut salutaribus generibus
aut infestis (v. 9, v. 17) & Cap. III. de sp̄-
nosa illa quaestione disputat, quo pacto in
mundum tam perfectum gliscere potuerit
tanta malorum cohors, faciunt ut peranti-
quum quidem in hoc documento aeuum
agnoscam, longe seniori tamen quam non-
nullis videtur tempore floruisse eius aucto-
rem suspicer.

Et ex his quidem non nisi senior aetas
efficitur. Sed videamus nonne eam certius
constituere liceat. Mirum profecto habere
debet quemlibet 7), qui attente hocce ca-
put legerit, Deum in eo nuncupari neutro
eorum nominum, quibus per omnem aliam
Genesin insignis est, nec antiquissimo illo

B 2

אֱלֹהִים

quam ob crebras de metallis &c, obser-
nationes afferunt libro Iobi.

7) Vid. Perilli, EICHHORN *Eintleit. Th. II.*
§. 417.

אלֹהִים, nec recentiori & in Egypto demum usurpato יהוה 8), verum, iuncta vtraque appellatione, nomine יהוה אלֹהִים venire. Auguror itaque, aetatem nostri auctoris incidere in tempora illa, in quibus primo audiebatur nomen יהוה, quod celsiores Dei virtutes innuit; quod tamen quum non statim expellere potuisset antiquius illud & ad captuni hominum rudissimorum accommodatus nomen אלֹהִים; accidisse putem, sicut ubique lente & per varios demum gradus ad maiorem culturam euehitur humana mens, ut primo coniungeretur vtrumque nomen, donec tandem, accendentibus dignioribus de natura diuina sententiis, crebrior usus vocis יהוה nomen אלֹהִים nisi prius extinxit, rarius tamen usurpari passus est 9). Ea igitur si ita essent, sequentur,

8) Exod. III, 14. 15. VI, 3.

9) De variis explicationibus pluralis formae vocis אלֹהִים nolo hic recoquere, quae Ali. MT. אֱלֹהִים. iam

tur, concinnatum esse hoc carmen tempore Mosaico, & quidem in Aegypto: cui hypothesi nihil saltem ex iis criteriis, quae priori huius capitinis aetate supra attulimus, refragatur; imo eo magis omnia fauent, si quidem auctor in doctiore iam ac politiore Aegypto commoratus, facile potuit id agere, ut eruditioribus disquisitionibus narrationem suam distingueret 10).

Sed

iam ab aliis disputata sunt. Vid. CLERICVS ad Genes. I, 1. & Ven. HERDER *Geist der hebr. Poef. Th. I*, p. 48. *sqq.* De nomine ΚΛΗΡΙΚΟΥ vid. eundem CLERICVM disputantem ad Exod. III. 15. Nec vero apud Graecos Romanosque bina nomina, binasque virtutes in nuncupandis Diis coniungere inuisitatum fuit: Quid enim yetat, quo minus, dummodo bona cum fide agas eiusmodi comparationem instituere liceat? Fuere igitur nomina Pallas Athene, Phoebus Apollo, Iupiter Stator, Iuno Lucina &c.

10) Haud vereor ne quis mihi obiiciat, auctorem, si in Aegypto degerit, terra imbrum experite (Pomp. Mela Lib. I. c. 9.) non potuisse pluuiarum mentionem facere.

B 3

Sed haud ignoro, quae huic sententiae
oppoununtur: Protinus rudes & prorsus an-
thropopathicae de Deo notiones, quae in
hoc capite idemtide occurunt, testifican-
tur, contextam esse narrationem longis ante
Mosen annis, ut qui multo digniores, multo
augustiores de summo numine ideas habue-
rit. — Quasi demonstrari possit, aut hu-
ius capitinis auctorem omnia proprio, ut
aiunt, Marte concinnasse, nec potius hau-
fisse ex veterioribus de ortu terrae homi-
numque traditionibus, aut omnes Israelitas,
Mosi coetuos aequa dignas de numine notio-
nes concepisse, ac Moses ipse, cui tamen
multa alia testimonia reclamat.

Quod si ergo nihil aliud accederet, haec qui-
dem nihil morarentur, quo minus tenacissi-
me insistens nomini יְהוָה seriore huic do-
cumento exactatem assererem. — Sed huic ipsi
argumento momentum suum derogat Perill.

EICH-

EICHHORN 11), affirmans, ex utroque Exodi loco non posse demonstrari, nomen יְהוָה ante Mosen apud Israelitas non obtinuisse, sed innuere id tantum virtutem eam, qua nuncquam mutato consilio Iehovah semper promissis suis stat, ut sit sensus Exod. VI, 3: Omnipotentia quidem mea vobis innotuit, iam ostendam vobis, quam sim propositi tenax, quantaque fide vobis in manus tradam istas terras, quas iam patribus vestris me daturum promiseram. — Evidem, si-
c ut hoc mihi persuasissimum habeo, cum tot aliis etiam hoc Israelitis & caeteris anti- quis nationibus commune fuisse, ut πολυτω- νυμια ista Deorum 12) nihil aliud designarent, nisi diuersas numinis virtutes, seu at- tributa: ita tamen (pace tanti viri dixerim) vix mihi videtur probabile, potuisse aliquam

B 4 gentem

11) *Einleit. Th. II.* §. 427.

12) Habuit enim & Israëlitarum Deus di- uersa nomina אל, יה, יְהוָה, שׁרֵי, עַלְיוֹן, אֱלֹהִים &c.

gentem rudem necdum exultam ad eiusmodi nomen tam abstractum tam reconditum numini indendum adduci, antequam virtutem ipsam, quam nomine exprimere vellent, a nomine vere experti fuerint aut saltem expertos se crediderint 13). Non ergo video, cur a vulgari explicatione locorum Exodi, quae tam congrua, tam humanae naturae tardis progressibus consentanea videtur, recedendum aut contra horum locorum testimonia, iam ante Mosen nomen יְהוָה obtinuisse, suspicandum sit: atque adeo hoc

13) Nullum fere nomen proprium in Genesi occurrit, quamuis eorum frequentissima sit copia, cuius non origo ex aliis nominibus appellatiis sit deducta. Ab exemplis, quae in omni pagina adsunt, cumulandis abstineo. Et nonne etiam יהוה nomen similem originem habeat? Habet autem originem ex voce יהי (Exod. II, 14): Quae si iam ante Mosen innotuerat, quid erat opus, ut nunc demum duceretur? Sed Cap. VI, 1. luculentissime mihi quidem demonstrare videtur, antea non in usu fuisse id nomen.

hoc argumentum de seriore auctoris aetate,
petitum ex nomine יְהוָה, mihi quidem non-
dum infractum aut immunitum videbitur,
dummodo voculam יְהוָה, ubique adiectam,
ab auctore ipso proficiunt statuas 14).

B 5

Sed

14) Quod si quis antiquius tamen & lon-
gioribus ante Mosen saeculis contextum
hocce carmen censuerit, posset inferre,
voculam יְהוָה seriori tempore ubique ad-
iectam esse, non quidem a Mose ipso (ne-
que enim viderim, cur huic tantummodo
capiti eam inferere ille potuerit); sed ab
alio quodam seriore auctore. Quae hy-
pothesis nancisci potest aliquam speciem,
si, quam conjecturam Perill. EICHENHORN
(*Einl. Th. II.* §. 422.) profert (quip-
pe qui auctorem capitum, in quibus Deus
יְהוָה nominatur, hoc documentum histo-
riae suae praefixisse existimat), si igitur
illam eo velis extendere, ut primo quidem
nomen Dei in hoc documento אלֹהִים
fuisse dicas, auctorem autem illum, ut
haberet tamen aliquam cum sua ipsius hi-
storia similitudinem, non quidem expun-
gere prorsus nomen אלֹהִים esse ausum,
verum tamen ubique vocem יְהוָה inse-
ruisse. Sed quis tantae vetustatis caligines
prorsus dissipare ausit?

Sed hanc explicationem video repre-
hensionis aliquid habituram, quippe qua ad-
missa, plura consequantur, quam probanda
subii. Apparet nimurum omnia capita Ge-
nezeos, in quibus Dei nomen יְהוָה adest,
in eandem aut seriorem adhuc aetatem esse
reiicienda, id quod ipse, retenta hac hypo-
thesi, concedam necesse est, & lubentissime
largior, quum & in his omnibus capitibus
eadem, quae antea rimatus sum, vestigia
maxime in orationis diuersitate deprehensa,
seriorem aetatem postulare mihi videantur,
quod tamen vterius demonstrare, ne a scopo
nimis aberrem, hoc loco prorsus non li-
cet 15).

Nam altera illa difficultas, quam in eo
inuenire possit quispiam, quod in narratione
rerum a Patriarchis gestarum, quibus nihil
vnquam de nomine יְהוָה, inauditum fuerat,
tamen

15) Adeas itaque Ill. EICHHORN *Eiplet.*
Th. II, §. 419. 420.

tamen Deus hoc nomine veniat, nullum paene negotium facessit: siquidem annotante iam Clerico 16) per περιηγήσιν, ut loquuntur, hoc nomen usurpatum est a seniore auctore, cuiusmodi exempla complura quoque in Genesi inueniuntur 17).

Iamque de consilio auctoris in perscribendo hoc monumento pauca differamus, quod quidem prorsus diuerso modo explicauerunt interpres, aliis existimantibus, sicut auctor prioris Capitis terrae primordia exposuerit, ita ab hoc hominum potissimum statum primaeuum adumbrari; Mosen autem, utpote qui Israelitarum suorum historiae universalem quodammodo, quam vocant, historiam praemittere voluerit, ut pro more eorum, qui eiusmodi historias scribendas suscipiant

unt

16) Ad Exod. III, 15.

17) Videsis e. gr. Cap. XXVIII, 19. Coll. XII, 8; Cap. XXXI, 21. Coll. v. 48.

unt 18), originem terrae & hominum adiungeret, utrumque caput collegisse & in hunc ordinem disposuisse: aliis tamen id potissimum egisse auctorem nostrum censentibus, ut sibi, quantum quidem valuit insans primorum hominum intellectus, philosophice quodummodo explicare tentaret modum ac rationem, qua ex rudi & informi materia prodire potuerit terra tot herbis tot floribus collucens, aut aer volucribus refertus, aut tot tantaque animalium genera, aut denique tot praeclaris dotibus instructus, quin ad ipsius Dei similitudinem formatus homo. Et priori quidem sententiae manifesto repugnat inscriptio: quae, siue de hominibus formatis vnicce, siue de omni mundo in lucem

18) In variis sane scriptoribus, qui vniuersales, quas dicunt, historias composuere, inuenitur iste mos, ut ab origine terrae hominumque creatione ordiantur. Exemplo fit Diodorus Siculus. Sed & ad serfissimos usque chronographos ista consuetudo propagata est.

lucem producio, potissima tamen creationis
hominum habita ratione, agere voluerit au-
ctor, haud quaquam potuisset polliceri אָמַר
בְּנֵי הָרָה בְּנֵי שָׁמָן. Sed & posteriori senten-
tiae, quam protulit ill. EICHHORN 19), &
quae vix dicere possum quantum mihi pri-
mo ab blandita sit, incepi tamen (venia tanti
viri dictum sit) postea diffidere, cogi-
tans, repleri quidem hac hypothesi magnum
illum hiatum, qui alias inter v. 4 & 5 inue-
nitur, non omnem tamen difficultatem aut
omnem confusionem idearum prorsus ad li-
quidum perduci. — Nimirum secundum
Cel. Viri explicationem ita insit poeta:
„Quin primo crearet Deus coelum terram-
„que, nulla planta, herba nulla aderat: ne
„que enim terram a) aut pluia irri-
„gauerat b) aut coluerat humana industria.
„(v. 4, 5). Vtrumque igitur exstiterit & a) primo
„pluuiae

19) *Urgesch.* p. 178. & *Biblioth. B. II.*
St. 4. p. 712.

„pluiae seu nebulae exortae terram irrigabant v. 6. & b) homo, qui araret terram, „procreatur, v. 7. sqq.” — Mihi quidem ista protasis בָּזֵבֶת וְשִׁמְיָה עֲשֹׂו gran-
dioribus verbis incipere videtur, ut apodosis in versu quinto deludat quodammodo ex-
pectationem lectoris, qui plura sequutura sperasset, quam pauca illa, ”nec frutex ade-
at, nec herba”: quas quidem voces mihi verisimilius est, magis congruere initio aut
continuationi longioris narrationis, quam apodosi praecedentis protascos. Verum ut
his, quae suus quemlibet sensus internus secus docere potest, non insistam: at quis
aut poetam ferat, tam religiose & tantum non secundum logicas partitiones omnia dis-
fecantem, ut, postquam vix defectum plu-
iae hominumue narrauerat, statim 1) plu-
iam & 2) homines procreatios referret 20)?

aut

20) Indigna mihi prorsus poeta videtur istiusmodi in rebus dispescendis religio, Nam qui

aut sibi satis explicauerit, cur originem pluuiarum paucissimis exposuerit verbis, at creationi hominum tam diu fuerit immoratus? Iam illa narrationis confusio, quam supra iam ostendi, & maxime illa, quam v. 16. & 17. mouent, difficultas, faciunt, vt in hac explicatione vix acquiescere queam.

Haec atque talia mecum animo recolens
non possum quin eam sententiam amplectar,
quae

qui in Capite primo iuuenitur ordo, profus alia ex parte considerandus est: quem nec ullum contra antiquissimam capitum primi aetatem argumentum inferre posse crediderim, quum in Homero, quotiescumque v. c. ea, quae in scuto aliquo fabrefacta sunt &c. describit, idem ordo iuueniatur. At hic maximam difficultatem mihi mouet illa diuisio, quod, quum dixisset, "nec pluua, nec homo aderat" statim subiicit: Ergo primo pluua orta est, & paucissimis verbis quum haec expediisset, deinde & homo. Sed & lingua & oratio, qua omnia expressa sunt, mihi quidem videtur magis referre disiunctas longioris fragmenti partes, quam narrationem continua serie productam.

quae non integrum hocce documentum ad nostra tempora pervenisse statuit 21). — Quo circa vere ab auctore nostro perscripta esse ea, quae pollicetur inscriptio, existimauerimus generationem, puta, i. e. originem coeli & terrae, *ne solum* coeli & terrae, *sed etiam* omnium eorum, quae in coelo aut terra cernuntur (*omnia enim haec, dummodo utramque notionem coniunxeris,* etiam in sermone prosaico vocibus וְאַרְצָה שָׁמֶן innui posse,

ex

21) Venit mihi in mentem haec conjectura, in quam facillime quis incidere potest, quum in praelectionibus meis in Genesin habitis ad hunc locum deuenirem. Sed intericto tempore aliquo inhibuit mihi dissertationem suam, in qua similem conjecturam defendit, Ven. POTT. Quem celeb. virum sicuti in tam graui re mecum sere consentire pericundum fuit: ita tamen hand abs re me facturum arbitrabor, si etiam post eum meam qualisunque de hoc capite sententiam proferrem, quae hactenus quidem eadem est, quod hocce documentum non integrum ad nos pervenisse vterque nostrum existimamus, caeterum in pluribus aliis discrepabit.

ex usu loquendi omnibus fere linguis vulgari patet; quum res tantummodo *quae in coelo ter- rae adfunt*, vix alia oratio vocibus *coeli & ter- rae* exprimere possit nisi *poetica*); atque adeo nostro auctori consilium in scribendo hoc do- cumento fuisse haud absimile illi, quo etiam primum caput concinnatum est. Sequitur hinc, multa, quæ de formata terra, de se- gregatis a continenti undis, de astris in lu- cem editis, & id genus aliis copiosius erant exponenda, de quibus tamen hic ne lit- tera quidem deprehenditur, *intercidisse*; quæ tamen vtrum nec ad Mosen perlata sint in- tegra, an postea demum iniuria temporis erepta, quis pro certo affirmare sustineat?

Et hanc quidem hypothesin non pro- fus a vero abhorrere crediderim, quoniam ea admissa, tum omnes euangelicere difficul- tates, tum explicationem ipsam optime flue- re, videbimus.

C

Primo

Primo enim hac vniqa ratione vindicari mihi posse videtur inscriptio , cuius in demonstrando hoc loco momentum nullo pacto negligendum existimauerim : ea enim siue , pro more scriptoribus tam Graecis quam Hebraeis satis communi ab auctore ipso profecta esse credatur , siue a Mose aut alio quocunque addita ; manifesto tamen antiqua satis demonstrat , continuisse aliquando hoc caput plura , quam nunc in eo leguntur . Vererer tamen , ne quis quaerat , quo pacto , quum initium documenti exciderit , potuerit fieri , ut seruaretur inscriptio , nisi aut similia exempla complura nos docerent , quanta in his rebus vis sit casui , aut a vocibus בָּיוֹת עַשְׂוֵת exorsum esse fragmentum , existimari posset & inter v. 4 & 5 demum nonnulla intercidisse .

Sed , hac hypothesi comprobata , nullum iam negotium facessit magna , quæ in hoc capite
inue.

imuenitur perturbatio; neque supereft, quod
impedit explicationem aut hiulcam reddat.
Ingressus quippe poeta noster viam, iam a
capitis primi auctore stratam, antequam pro-
ducta ex informi statu omnia quae cernimus
canceret, rudem hunc & informem statum ip-
sum depingit, & quidem, ut infra ostendetur,
graphicè vt poetam decet depingit (v. 5 & 6)
22) iamque orditur ipsa creatio, ex qua ta-

men

22) In explicandis duobus his versibus omni-
no difficillimis mirum est quantopere de-
sudauerit interpretum industria. Iam Versi.
antiquae, Vulgata, Hieron. Chald. & LXX
eo modo enodare rem conati sunt, vt
בְּרֵבָה pro בְּרֵבָה positum acciperent,
qua explicatione & Clericus defunctus vi-
detur, hunc sensum eruens; antequam
pluuiis irrigata esset tellus, vapore dun-
taxat pluiae loco agros esse foecundatos.
Quod tamen ex verbis elicere quam durum
fit, vel me non monente, quilibet intel-
lit. Evidem τοῦ βρεβάν sensu usitatis-
fimo accipiens, quo etiam Vers. Syr. ac-
cepit, & τοῦ Αἰγαίου cum Chald. per nubes
exponens, τοῦ βρεβάν ḥiskor (v. 6.) poetice
dictum arbitror, pro circumiacebat, con-
supib[us] tegebatur, G 2 tegebatur,

men narratione nihil ad nostram memoriam peruenit, praeter pauca illa quae v. 7. &c. sequuntur *αποσπασματικα*, & ea quidem adeo perturbata & confusa, vt nonnulli loci, v. 18-21 puta, nullo modo cohaerere aut coniungi posse videantur. Quem nodum, satis perplexum pro viribus soluere age tentabimus: quod eo melius procedet, si de *ordine*, quanto rerum congeriem disposuerit auctor noster, antea exposuero.

Quantum quidem ex paucis illis, quae sufficiunt, reliquis augurari licet, apparet auctorem nostrum de iisdem rebus exponentem, ordinem tamen sequutum esse, ab eo, qui capit primo inest, proorsus diuersum. Et in re quidem tam obscura certo aliquid affirmare velle, stolidi foret: caeterum si licet diuinare,

tegebat, vt sensus fere prodeat hic: Nec nullus frutex germinauerat, nec vlla herba &c. verum informem terrae molem nec dum hominum industria excultam vndique ont-gebant nebulæ.

re, hoc ferme ordine adumbratam narrationem crediderim. Antequam magnum illud argumentum, *a Deo creata esse omnia, tam coelum quam terram* 23), inciperet narratione sua persequi, perinde ac primi capitinis auctor sibi fingit rudeim terram nec pluviis foecundatam nec hominum opera excultam, sed vnde dique nebulis & caligine obsitam (v. 5. 6.). Et hactenus quidem cum primo documento consentiens auctor nosier, iam incipit dissentire, quatenus ille post finitum demum omne creationis opus hominem in scenam producit, ut statim frui possit paratis in suum usum

C 3 omnibus;

23) Haud dubie enim & noster auctor, quamquam in modum ac rationem, qua producta omnia sint, inquirat sollertia, cuncta tamen ad Deum יְהוָה אֱלֹהִים tanquam ultimum auctorem reducit, iis ipsis verbis exorsus בּוּמֶעָשָׂת יְהוָה אֱלֹהִים. Quapropter eodem iure & nostrum praedicare licet, quod de primi capitinis auctore proferre solent, id egisse, ut admoneret rudes hominum superstitionum animos, omnia, quae adessent, a יְהוָה auctore prouenisse,

omnibus; hic autem hominem, princeps creationis opus, ante omnia prodire iubet (v. 7) atque nunc demum plantas arboresque in eius utilitate in progenitas refert, (v. 8, 19) tum post formatum hominem domiciliumque ipsi adsignatum caeteras animantes in lucem edit (v. 19, 20): quibus tandem nomina sua sortit, femina quoque creatur, & omne opus absolvitur. Quam quidem oeconomiam si cum capite primo contuleris, sicuti multo longiora fusioraque cuncta, ita & quoad poeticam elegantiam longe inferiora sine negotio deprehendes, id quod aliis iam obseruatum, copiosius repetere nolo.

Tali ordine procedente oratione nullis iam laqueis crederes irretitam esse narrationis feriem. Sed en tibi maximas turbas, Quisnam, quaeſo nexus in iis, quae v. 18 ſqq. leguntur? qui fieri potest, ut יחוּת אֶלְחִיָּה qui v. 18 ſociam homini feminam procreaturum

turum se promiserat, bruta procreasse narre-
tur, iisque demum creatis feminam producat?
Ecquis non mare coelo permistum hic putabit?
An forte a Mose aut alio quocunque ^{versus 19.}
20 insertos existimamus? at vide, ne hoc sta-
tuendo immeritam litem intendisse videaris
sanctissimis Mosis manibus, qui quidem nul-
la prorsus causa potuit induci, ut hos {ver-
sus huic loco subiiceret, nisi forte perturbare
omnem narrationis seriem maluerit & pror-
fus peruertere, nusquam autem nobis innotuit
tam importunus interpolator, sed quaecunque
forte adiecit (e. g. v. 24), semper deprehen-
dit adiecisse quam opportunissime. — Mi-
hi quidem, ut paucis expediam, referendi
hi versus videntur inter *locos luxatos*, quo
vocant, ita ut, si a vers. 19 & 20 orsus
transposito ordine versum 18uum cum 21me
coniunxeris, huiusmodi ferme sensus prodeat;
quem statim sicut poeta rudibus & anthropo-
pathicis de Deo notionibus assuetus rem sibi

C 4

finxit

fixisse videtur, ipse quoque anthropopathicis
 verbis proferam: — Postquam Deus forma-
 tas a se cuiuslibet generis animantes ad ho-
 minem, omnium terrarum regem dominum
 que, a quo nomina sua nanciserentur, ad-
 duxerat, (v. 19) obseruans ille miram istam
 multitudinem, simul singuli generis singula
 paria conspicatus, nomina quidem similia bi-
 nis indidit, nuncupans ea vel *lupum* vel *lu-*
pam, vel *leonem* vel *leuenam*, at plura quum
 obseruasset, miratus, omni quidem animanti
 adesse confortem, se autem ea carere (v. 20, fin.)
 iacturam hanc patefecit Iouae, qui tanquam
 artifex, quia absoluendum quam perfectissime
 opus suum etiam alios consulit, admonitus de
 hac quasi lacuna creationis suae, "recte tu vero
 ista, dixisse dicitur (v. 18), "video hunc de-
 fectum, video nec te posse carere socia,
 quocirca, quain caeteris animantibus creaui,
 eandem creabo & tibi" — — . Quae si ita
 explicaueris soluitur nodus tam perplexus,

SIXXII

&

& oratio tam impedita optime procedit.
 Nec vereor ne quis requirat, quo pacto
 tantopere potuerit perturbari & distorqueri
 tam lucidus ordo: namque, si in tot aliis
 auctoribus, multo recentioribus committere
 tale quid potuit librariorum incuria: quanto,
 quaeſo facilius id accidisse putemus documento
 tam reconditae antiquitatis, & quidem do-
 cumento, quod, sicut Perill. EICHHORN ſuſpi-
 catur, alius auctor ſuis narrationibus praefi-
 xit, Moses deinceps cum aliis, quae colle-
 gerat, coniunxit, vt adeo multas demum
 post vicissitudines eam formam nactum fit,
 in qua nunc conficitur.

Sed quo melius & ea, quae adhuc diſ-
 putata ſunt, illuſciant commodiusque que-
 ant perlustrati, & ſimilitudo quam habet
 vtriusque capitis narratio appareat luculentius,
 vtriusque historiae ſuccinctum conſpectum
 ſubiungam.

*Documentum prius
Genes. I, - II, 3.*

Principio rerum omnia a Deo creata sunt, v. 1.

*Terra autem fuit ru-
dis & informis, v. 2
(membr. prius.)*

*Tenebris & caligine
cuncta squaliebant,
v. 2. (membr. poste-
rius),*

*Dispulsis autem tene-
bris, v. 3 - 5.*

*Nebulisque & vaporibus dissipatis, terra
iam ab aere discer-
nebatur, v. 6 - 8.*

*Aquae a continenti
segregatae, v. 9, 10.
Tellus arboribus her-
bisque distincta, v.
11-13.*

*Apparuerunt astra, v.
14-19.*

*Aqua, aer, & tellus
animantibus referta,
v. 20 - 25.*

*Documentum posterius
Genes. II, 4 - fin. Cap.*

Desunt.

*Nullus frutex, nulla
arbor germina-
rat, v. 5.*

*Nebulæ e terra emer-
gentes humecta-
bant, i. e. nebulae
humidae contege-
bant terram, v. 6.*

Desunt.

*Plantauit autem Deus
hortum, omnibus-
que arborum gene-
ribus distinxit, v. 8 -
14. (Topographia
huius regionis.)*

Desunt.

*Tunc formauit Deus
ex terra animantes
cuiuslibet generis
&c. v. 19. 20.*

Con-

Consignat tandem magnificientissimum hoc creationis opus homo. Creatus autem est uterque sexus tam masculinus quam femininus, v.
26-31.

Et formauit Deus hominem ex terra, v. 7.
Sociamque ei feminam adiunxit, v.
18, v. 21 sqq.

Tali ferme ordine collocata ea, quae narraturus erat, poeta noster, ratione ac modo protulit, quem, prout multis annis, ut supra ostendimus, senior vixisse videatur, & flouruisse tempore, quo iam primis labris degustare coepissent homines variarum doctrinarum elementa, forte & in terra, quae id temporis fere sola occupauerat doctrinas, mirum profecto neminem habebit a primo capite tanto discrepare coelo. Nuspia dicuntur illa sententiarum maiestas, nuspia confusa illa breuitas, tanta admiratione animum lectoris percellens: imo ex confilio diutius videre licet inhaerentem poetam singulis, quas obuias habebat, sententiis, variisque omni-

no

no artificiis poeticis exornare opus suum & perpolire allaborantem. Deformem terrae statum adumbraturus, vt vno saltem exemplo illustretur res, prioris quidem capitinis auctor pro consueta sibi grauitate breuissime enunciatus וְהַרְאֵת חִוָּתָה תְּהִוָּה וּבָהּ, at hic noster, simulatque ad hoc argumentum ordine pervenerat, locum se inuenisse ratus, cui ut pote poeta longius posset immorari, nudam hanc sententiam *terra erat rufis & inculta* per singulas partes deducit, & ita poetice effert sententiam: "Nullus dum frutex ornauerat arua, nulla herba in pratis effloruerat: nullus aut imber foecundauerat tellurem aut homo arauerat: cuncta nebulis & vaporibus inuoluta delituere 24). — Videor

equi-

24) Sed video orationem hanc poeticam vix exprimi posse lingua latina, nisi in carmen transuertere malis. Adeas ergo, si hos versus poesi latina expreſſos velis, Ouidium, qui Metam. I, 10 sqq. aliis quidem imaginibus, verum eodem fere modo rem adumbrat; quem, si vllum alium postam, ad explicanda priora Geneseos capita quam maxime conferre crediderim.

equidem mihi videre in priori capite venerabilem aliquem Homerum, hic exquisitiorem Callimachum; ibi Ossianum, hic multo seriorum & nimios ornatus auctorantem Miltonem 25).

Quae cum ita sint, videbis quidem in hoc monumento auctorem, ut aetate, ita & poetica praestantia & in formanda oeconomia ingenio prioris capitinis auctiore longe inferiorem; poëtam tamen, qui easdem res, persequitur quas prius caput retractauerat, & eas quidem antiquissimas, forsan & ex eodem fonte haustas: videbis opus, quod nec inscriptioni refragatur, nec sine ordine summa imis miscet: quod ut interpretemur, nullis indigemus artibus longius peccatis, sed planam viam persequi sufficit omnibusque hominibus tritam.

Sub.

25) Adde his, quae supra p. 15-19, disputata sunt.

Subiungo paucissimis, quid Mosen inducere potuerit, ut hocce documentum, easdem res, quae iam capite primo exhibita erant, pertractans, in libellum suum admitteret. Cui breuibus sic respondeo: ex omni Genesi apparere, in colligendo hoc libro id Mosi fuisse consilii, ut ni omnia, potissimum tamen suae nationis monumenta colligeret, collectaque ita digereret, ut quantum fieri licuit continua serie procederet narratio: quem finem quum ubiuis aegre obtinere posset, accidit, ut subinde eadem res bis repeteretur, cuius luculentissimum exemplum exhibebit diluuii historia. Sed eadem difficultas caussa fuit, quod a Mose excerptum hocce fragmentum statueret Ven. Pott, cuius tamen sententiam (dabit hanc veniam vir Celeb.) non possum equidein adoptare; neque enim me persuadebit vir doctissimus, expletam nunc esse eam lacunam, quae inter v. 4 & 5 deprehendiur: imo eo maiora eam credide-

crediderim negotia facessentem. Nam quid tandem impellere potuisset Mosen hominum primordia referre cupientem ad excerp- pendam eam de statu terrae informi nar- rationem, quae nondum in lucem edita fuisse gramina profitetur, quoniam nondum plouif- set, nec dum adfuisset homo; quum tamen idem Moses in priori Capite apposuerit frag- mentum, quod iam *ante* hominis praesentiam creata esse haec omnia praedicat? An in caeteris quidem Mosen boni historici partes tam religiose putabimus impleuisse, hic au- tem aut excerpdis iis quae prioribus con- tradicerent perturbasse narrationis seriem, aut tam hiantia omniue connexu deslitura excerpta sua collocasse arbitrabimur? — His ergo & eiusmodi aliis inducor, vt a viri Cel., quocum caeteroquin consentio, opinio- ne discedens eius potissimum sententiae patro- cinium profitear, cui ex hoc capite vel ante Mosen vel postea demum nonnulla interci- disse videntur: quam, etiamsi nonnihil adhuc

D

diffi-

difficultatis scio relicturam (quis enim ex omnibus his laqueis subito se expediet?) protuli tamen, ut intelligentiores, si forte cuilibet innotuerit haec explicatio, nec prorsus indigna habita fuerit curatore trutina, de ea iudicare queant follerti. Caeterum ipse tantum absum, ut eximium aliquod pretium arrogem coniecuris meis, aut magnam me ad explicationem perardui huius loci symbolam contulisse glorier, ut potius lubentissime subscribam aureis illis Cel. POTTII verbis, quae semper ante oculos habeat istorum documentorum interpres: „Omnia haec quum mente magis percipi, quam verbis explicari possint, vniuscuiusque sensui interno, pro ingenii aetatis aliarumque rerum varietate admodum diuerso relinquenda sunt.”

Transeo iam ad illum, cuius causa haec conscripta sunt, finem, ut nimirum indicam commilitonibus meis Honoratissimis Doctissimisque eas lectiones, quas imminente

te semestri aestiu tam publicas habere animus est, quam priuatas priuatissimasque.

Publige nimurum in collegio Repet. Theol. ternis per hebdomadem diebus Martis, Jouis & Saturni hora I—II. in *Acta Apostolorum* fuis ita statui commentari, ut ubique vicissitudinum religionis Christianae, quibus ini-
tiis sit orsa, quænam incrementa Apostolo-
rum tempore cepit &c. nec non rituum Chri-
stianorum antiquissimorum, & omnino eo-
rum, quæ sub antiquatum Christianarum
nomine venite solent, maxima habeatur ra-
tio, explorenturque curatius illi loci, qui in
Dogmatica maioris sunt momenti.

Priuatis hora IX — X. quinques
Dogmatices partem exegeticam tradere sta-
tui, i. e. exhibere omnium utriusque Te-
stamenti dictorum classicorum recentissimum,
quibus singulis quænam vis ad quod proban-
dum insit, ex praceptis exegeticis hermeneu-
ticisque, maxime ex orationis nexu enuclea-

bitur, adiunctis practicis in scribendo disputandoque exercitationibus.

Hora XI — XII. quater per hebdomadem elementa linguae *Hebraicae* secundum mea dictata docebo, adiuncta facilioris aliquius Vet. Test. libri historici interpretatione ab Auditoribus Honoratiss. instituenda.

Hora matutina VII — VIII. duce III. KAESTNERI libro *Mathesin puram sexies explicabo.*

Neque iis deero, qui in Latinis, Graecis & Anglicis priuatissima mea opera uti velint.

Quibus conaminibus, ut sicut consuestis, Commilitones Honoratissimi, frequentia Vesta fauere haud dedignemini, etiam atque etiam rogo.

ERRATA.

Incuria quadam accidit, ut p. 46. lin. 3 exhibita pro exhibitae & lin. 19. me pro mihi scriptum maneret. Nam quae leuiora sphalmata tam in titulo quorundam exemplarum, quam in libello ipso passim inueniuntur, vel me non monente, corriget Ben. Lect.

VD/8

